Die IX. Martii.

IN FESTO B. CATHARINÆ VIRGINIS BONONIENSIS,

Duplex majus.

Festum S. FRANCISCÆ Viduæ, Duplex minus, transfertur.

Omnibus & singulis Fratribus & Monialibus Ordinis Minorum Observ: S. Francisci hoc Officium liberè & licitè recitandum Sacra Rituum Congregatio concessit die 22. Februarij, 1680.

AD VESPERAS.

Antiphona In Claræ viridario, *cum reliquis de Laudibus Psalm.* Dixit Dominus *cum reliquis de Communi Virginum.*

Capitulum.

Fratres, qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. ℟. Deo gratias

Hymnus.

O Catharina nobilis
Sancti Francisci filia,
Quæ vitæ sẽper labilis
Falsa sprevisti gaudia.
Ad sponsi Iesu nuptias
Exemplo, verbis, operè,
Plures traxisti filias,
Devotas sacro fœdere.
Vicisti carnis lubricum
Figuram mundi labilẽ,
Et dæmonẽ falsidicum
Ob Zelũ Iesu stabilem.
Uni Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitã sine termino
Nobis donet in patria.
Amen.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.
℟. intende, prosperè, procede, & regna.

Ad Magnif: Antiph: Spōsa Iesu amabilis Catharina Virgo, quæ nunc in æterna patria sublimaris, almis tuis precibus fac nos consortes cœlestium ciuium, quibus collocaris.

Oratio.

CConcede nos famulos tuos Deus beatæ Catharinæ Virginis suffragiis adiuvari, cuius odore unguentorum trahimur ad tuà sancta lætantes. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Deinde fit commem: Fer:

Ad Matutinum, Inuitatorium. Regem Virginum Dominum. * Venite adoremus. *Psalm:* Venite exultemus.

Hymnus.

VIrgo Christi juvēcula
SanctæClaræ discipu-
Efficitur, & filia (la
Ejus sequens vestigia.
Dirè suum corpusculum
Domans, vicit diabolū
Mundū spreuit vertibilē
Et florem ejus fragilem.
Nocte & die vigiliis
Intenta, & ieiuniis,
Orationi dedita
Dabat salutis monita.
Deo canamus gloriam
Qui virgini victoriam
Carnis, Sathā, cū sæculo
Dedit in hoc corpuscu-
lo. Amen.

In I Nocturno Antiphona. A matre Virgine patri antequam nasceretur Catharina fuit divinitus præmonstrata. *Psalm.* Domine Dominus noster, *ut in Communi Virgin. Ant.* Orta fuit Bononiæ & illic educata, sed Ferrariæ Christo desponsata. *Ps.* Cæli enarrant gloriam Dei, &c. *Antiph:* Cunctas carnis illecebras à teneris annis ob Christi amorem sprevit. *Psalm:* Domini est terra. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere, procede, & regna.

Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine. &c.

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio 1.

DE virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino,

mino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis vxorẽ, non peccasti, & si nupserit virgo non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est, reliquum est, ut & qui habent vxorem, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam nõ flentes; & qui gaudent, tanquã non gaudẽtes; & qui emunt, tanquã non possidentes: & qui utũtur hoc mundo, tanquã non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Tu autem.

℟. Vigesimum annum agens Beata Catharina mundum despexit cum flore; Et arduum institutum Sanctæ Claræ suscipiens, Sanctum Franciscum imitata est.

℣. Contendite intrare per angustam portã, quia arcta est via, quæ ducit ad salutem. Et arduum.

Lectio ij.

Volo autem vos sine solicitudine esse. Quĩ sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quo modo placeat Deo. Quĩ autẽ cũ vxore est, solicitus est, quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori, & divisus est. Est mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiriritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico: nõ vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Tu autem.

℟. Venusta facie, & hilari aspectu pœnitentiæ viam non deserens labori * fructuoso quotidie insistebat: Visitabat, ægrotas, afflictas cõsolabatur, & crucem jugiter in suo corpore pro christi amore portabat.

℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Visitabat ægrotas.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat; non peccat si nubat. Nã qui statuit in corde suo firmus, non habẽs necessitatem, potestatem autẽ habens suæ voluntatis; & hoc iudicauit in corde suo, servare virginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit. Quòd si dormierit vir eius liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundũ meum consilium. Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam. Tu autem.

℟. Cernens quam plurima Christi membra à mystico ejus corpore separari oportebat, affligi graviter dum viveret, atque in futuro sæculo. * Vt suo dulci Christo rursum coniungerentur. ℣. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Vt suo Gloria Patri. Vt suo.

In secundo Nocturno.

Antiph. Profestas, & novitias edocere non cessabat dæmonis astutias præcavere. *Psalm.* Eructavit cor meum. *Antiph.* Nullum præter mittebat officium, obsequium, quin sodales suas omni, qua poterat cura foveret. *Psalm.* Deus noster refugium, & virtus, &c. *Antiphona.* Altaris sacrificium orans intellexit, Trinitatis mysterium spiritu perspexit. *Psal.* Magnus Dominus.

℣. Adiuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio eius, non commovebitur. Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

Lectio iv.

CAtharina, virgo Bononiæ nobilibus parentibus, Ioanne Ferrariensi,

ensi, illustri Vigriorum familia, & Benuenuta Bononiensi orta est. Hāc beata Dei genitrix Maria patri per visum prænunciauit in festo Natiuitatis suæ veluti fulgentissimum solem nascituram. Quare ab incunabulis Dei Benedictione præventa, vitæ innocentiam cū pietate perpetuò servauit. Vigesimum annū agens à matre Ferrariam perducta in Monasterio Corporis Christi religiosum Sanctæ Claræ habitū sumpsit. Quo in loco, vt lampas ardens cæteris splendescere, & virtutū omnium specimen præbere, cœpit. Humilitas tanta ei inerat, vt viliora semper, & lacera indumenta caperet, abiectiora officia exhiberet, Charitate ergo omnes afficiebatur maxima. Nil vitabat, nil prætermittebat quin foveret omnes, subleuaretque præsertim infirmas, in quibus monialis caput saniè tabefactum, nedum contingere, & manibus abstergere, sed & lingva lingere sæpiùs non horruerit. Tu autem Domine.

℟. In cruce tenens brachia, somno correpta dulciter non cessat lachrymari. * Tunc militiam cœlestem audit cū tripudio, ter Sanctus decantare.

℣. Christo confixa sū cruci, Christus amor meus crucifixus est. Tunc militiam.

Lectio 6.

TAnta erga errantes affecta erat commiseratione, ut suam ipsius animam Deum præcaretur in inferno exuri, dummodò illorum animæ ab incendio (si fieri posset) eriperentur. Obedientiæ virtute sic eminebat, ut semel tentata sese in flammam iniecisset, nisi statim revocata, ab illa se eruisset, orationi assidua sponsi sui amore flagrans summa spiritus dulcedine potiebatur. Quare arcana cordiū, & secreta cælestia sæpè ei sūt revelata. Cui & sanctus Thomas Cantuariensis manū deosculandam, & beatus Franciscus stigmata vi-

senda aliquando præbuerunt. Animam Ioannis Episcopi Ferariensis in cœlum euntem, veluti stellam coruscātem moniali, quæ aderat, ostendit Aliquando in Missa dum Sacerdos præfationem perficeret, Angelorum concentum, ter Sanctus, canentium mira suauitate audivit, qui si diutiùs, ut ipsa retulit, perdurasset, proculdubio corpore resoluta foret. Fratrem in viam salutis reduxit. Sororis animam in cœlum euntem vidit, multa prophetico spiritu prædixit. Tu autem Domine.

℟. In natali Domini peruigil dum oraret, Beata Dei genitrix, Angelis comitata Filium ei amplexandum præbuit.* Ex cuius contactu tota eius anima liquefiebat.

℣. Ecce, quod concupiui video, quod speraui iam teneo. Ex cuius contactu.

Lectio vj.

CUm autem Bononienses etiam fama sanctitatis eius permoti, Monasterium Bononiæ in honorem Corporis Christi erexissent, ex Ferrariensi Monasterio B. Catharina vna cum quindecim Monialibus Bononiam, ut illud Monasterium regeret mittitur. Quod quidem illa, & Virginū numero, & regulari disciplina auxit. Cumque octo & viginti annos aduersa valetudine probata, postremum diem sibi imminere præuideret, conuocatis sororibus monita salutis dedit. Sumptis deinde Sacramentis inuocato Iesu nomine, beatam efflauit animam quinquagesimo ætatis suæ anno Honorificè sepulto eius corpore mirificus odor è sepulchro fragrare cœpit, & illuc concurrentes plurimi infirmi sanati sunt. Post dies decem & octo exhumatum corpus inuentum est incorruptum, & magno odore fragrans. Quod in Ecclesiam delatum ibi religiosè asseruatur integrum, & multis clarum miraculis. Tu autem Domine.

℟. Optans

℟. Optans subesse, penitus, monasterij regimen sibi datum suscipere recusabat. * Sed post edocta cœlitus onus accipere non recusauit. ℣. Iesum qui fuit subditus recogitans, aliis non vult præesse. Sed post edocta. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sed post edocta.

In tertio Nocturno.

Antiph: Laborans in otio, orare non desinit, vt dilecto suo Domino Iesu Christo adhæreret.

Psalm: Cantate Domino. *Antiph*: Audivit, & lætata est Sion, exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Psal. Dominus regnauit. *Antiph*: Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit. *Psalm*: Cantate Domino. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. Pater noster. *Absolutio*. A vinculis peccatorum.

Lectio S. Evangelii secundùm Matthæū.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sposæ. Et reliqua

Homilia Sancti Basilii Episcopi.

VIde ne quando te pœniteat malorum consiliorum, cùm nulla pœnitentiæ vtilitas existit. Refrenet te Virginum exemplum. Illæ oleum inuasis non habentes cùm ipsas congredi cum sponso oportebat, tunc tandem senserunt rerum necessariarum negliētiam. Quapropter etiam fatuas euangelium ipsas appellauit, quòd tempus vsus olei in circuendo, ac apparatu consumentes non animaduerterunt, quòd seipsas à sponsi hilaritate excluderent. Itaque, & tu vide, ne annū ex anno, & menses mensibus, & diem ex die differens, & non accipiens oleūm luminis alimentū, incidas aliquando in diem,

em, quàm non expectas, quando deficiet te de cætero viuendi processus, & consilii inopia, & tribulatio immitigabilis fuerit. Tu autem Domine.

℞. Trisagium ab Angelis audiuit Virgo nobilis in Missarum solemniis decantari. * Quorum dulcissimo concentu purissima illa anima Christi amore transfigebatur. ℣. En dilectus meus, loquitur, mihi surge propera amica mea, formosa mea, & veni. Quorum dulcissimo.

Lectio viij

NEmo te inanibus verbis decipiat, instabit enim tibi repentina pernicies, & mors ad procellæ similitudinem aderit. Veniet Angelus tristis ab ducens violenter, & trahens animam peccatorũ vinculis illigatam, & frequenter se convertentem ad ea quæ hic sunt, lugẽtem sine voce, in instrumento lamentationum de cætero concluso. O quàm teipsum dilaniabis! O quantum ingemisces! frustra pœnitentiã ob mala consilia agens. Vbi videris hilaritatem iustorum ob splendidam donorum distributionẽ, & tristitiam peccatorum in tenebris profundissimæ relegationis. Tu autem Domine.

℞. Laborem pro quiete contemptum pro honore, pauperiem pro divitiis elegit, & Christi Domini passionem, quotidie deflebat. Vt variè afflicta frueretur Saluatore.

℣. Sicut abundãt Passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Vt variè. Gloria Patri. Vt variè afflicta.

Lectio ix. Homilia in Euangel Feria occurrente.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas. Antiph:

IN Claræ viridario nouella planta nascitur, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum

Psalm: Dominus regnauit. *Antiphona.* Inter prudentes virgines Christo procedens obuiam, Bononiæ illustrat vrbem.

Psalm:

Psalm. Iubilate Deo. *Antiphona.* Thesaurum evangelicum inuenit Virgo sapiens, quod in cordis abdito abscondit.

Psalm. Deus Deus meus: *Antiphona.* Benedico te Pater Domini mei Iesu Christi, qui me fecisti vanitatem sæculi spernere.

Psalm: Benedicite omnia opera. *Antiph:* Laudet mater Ecclesia sponsum Iesum, qui Ciuitatem Bononiæ voluit tali filia coruscare.

Psalm: LaudateDominum de cœlis.

Capitulum. Fratres qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Hymnus.

OS nequit tuum promere
O Catharina gaudium,
Nec potest cor cõcipere
Quod agis nunc tripudium.
Nam Dei non in speculo,
Sed facie ad faciem
Mundato cordis oculo
Diuinam cernis speciẽ.
Cum fide, spes, & charitas,
Crescat in nobis omnibus,
Et illibata castitas
Cum cæteris virtutibus.
Vni trinoque Domino.
Sit sempiterna gloria
Qui vitam sine termino
Nobis donet in Patria.
Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus, Antiph: Clarum nobis effulsit sidus, cùm Catharina Virgo supernorum Ciuium cætui adiuncta est in æternum.

Oratio.

COncede nos famulos tuos Deus beatæ Catharinæ virginis suffragiis adiuuari, cuius odore vnguẽtorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum.

Et fit commemoratio de feria occurrente.

Ad Tertiam, Antiphona. Inter prudentes. *Capitulum.* Fratres, qui gloriatur. *Vt supra.*

℟. *breue.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie tua ℣. Intende, prosperè procede, & regna

gna. Et pulchritudine tua. Gloria Patri. Specie tua. ℣. Adiuuabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio eius, non commovebitur.

Ad Sextam, Antiphona. Thesaurum euangelicũ.

Capitulum. Æmulor enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.

℟. *breu.* Adiuuabit eam. * Deus vultu suo. Adiuvabit. ℣. Deus in medio eius, non commovebitur. Deus vultu suo Gloria Patri. Adiuuabit eam. ℣. Elegit eam Deus. & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Laudet Mater Ecclesia sponsum Iesum, qui Ciuitatem Bononiæ voluit tali filia coruscare. *Capitulum.* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illi⁹: quoniã apud Deum nota est, & apud homines. ℟. *breu:* Elegit eã Deus, * Et præelegit eam, Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eã. Et præelegit eã. Gloria Patri. Elegit eã ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In secundis Vesperis, omnia vt in primis, præter Versic. & Antiphonam ad Magnificat, quæ dicuntur, vt sequitur.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat, Antiphona. O paupertatis, obedientiæ, ac pudicitiæ specimen Beata Catharina, quæ hodie ad sponsi tui nuptias vocata es, duc nos per semitas iustitiæ ad veræ pacis cumulum, vt summum Regem gloriæ tecum possideamus in æternum.

Oratio.

Concede nos famulos tuos Deus Beatæ Catharinæ virginis suffragiis adiuvari, cuius odore vnguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum;

tuum: Qui tecum vivit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Deinde fit commemoratio Sanctorum Quadraginta Martyrum, vt in Breuiario, Poſteà Feria.